

quendum. Dixi autem, *nisi velis inferiori gradu religionis esse contentus*. Quia si absque cognitione linguæ latinæ recipiatur in gradu laicorum, qui etiam veri religiosi sunt, satisfacet suo voto illum gradum acceptando, quia, licet a principio illud non intenderit nec promiserit, coram Deo æquivalet, et propter majorem humilitatem majoremque mundi contemptum in accidentalibus excedit, cum aliocum in substantia religionis æqualis sit.

22. *Vovens religionem indefinite, si non recipiatur ad gradum sacerdotum, tenetur ingredi pro gradu laicorum, dummodo illius intentio non fuerit votere, et ingredi in gradu sacerdotum.* — Ex quo etiam facile expeditur interrogatio alia, quam Soto dicto loco proponit, an is, qui vovit religionem, et in ea non recipitur ad gradum sacerdotum propter defectum scientiæ, vel aliam ineptitudinem ad illum gradum, teneatur ingredi pro gradu laicorum, ut ad illum admittatur. Respondendum est enim hoc pendere ex intentione voventis; nam si indefinite vovit religionem, et nec formaliter nec virtualiter applicuit intentionem suam ad gradum sacerdotum, tenetur acceptare alium gradum, quia tenetur implere votum prout potest; potest autem illo modo qui comprehensus fuit sub tali voto, veluti sub disjunctione, ut in superioribus in simili explicatum est. Si autem intentio voventis solum fuit assumere religiosum statum in gradu sacerdotum, seu in ordine ad illum, et ad eum non admittatur, non tenetur absolute ingredi pro inferiori gradu, quia, ut sæpe dixi, non amplius obligatur quam intenderit. Et ideo dixi absolute non obligari, quia ex suppositione et per modum voluntariæ commutationis, obligari poterit ad excusandam aliam obligationem, vel diligentiam faciendam pro alio gradu obtinendo, ut in casu proxime præcedenti dictum est, nunc enim non jam ex vi solius voti præcedentis, sed ex vi novæ voluntatis obligatur. Quocirca, si quis sponte sua nolit facere talem commutationem, et moralem ac sufficientem diligentiam adhibeat, ut pro gradu sacerdotum aptus reddatur, addiscendo grammaticam, vel quid simile, et id assequi non possit, non propterea obligandus est ad acceptandum gradum laicorum, quia jam per illum non stat quominus adimpleat votum, prout a principio emissum fuit, et ideo non cogitur in alio gradu non intento votum implere. Sicut si vovisset ingredi in particulari aliquam religionem, in qua vel certa conditio originis, vel major eruditio, aut saltem major

aptitudo ad illam postulatur, et ob illius defectum in tali religione non admittitur, non tenetur aliam ingredi, etiamsi admittatur, quia illam non vovit, nec se obligavit; secundum moralem autem æstimationem, non minus diversum ac difficile est intra eandem religionem, vel gradum laicorum aut sacerdotum acceptare, quam unam religionem in aliam commutare.

23. Quidam vero hoc limitant, ut solum procedat, quando vovens a principio ignorabat suam impotentiam vel incapacitatem ad talem gradum; quia si illam sciebat, et nihilominus vovit, obligandus est ad ingrediendum in gradu laicorum in favorem voti, ne sciens et prudens frustra illud emisisset videatur. Item, quia cum jam sciret illum gradum sibi esse moraliter impossibilem, virtualiter voluit se obligare ad gradum possibilem. Verumtamen cum hic tractemus de obligatione in conscientia, non est præsumptionibus utendum, et ideo, nisi alias sufficienter constet de intentione voventis, non est obligandus; fieri enim potest (quod magis præsumendum est) ut, licet suam incapacitatem agnovit, speraverit illam vincere, vel magnis laboribus, vel importunis precibus, vel aliis mediis. Merito ergo tunc poterit obligari ad majorem diligentiam adhibendam, non tamen ad gradum laicorum acceptandum, si illum omnino non intendit. Hæc autem intentio cognosci poterit vel ex voluntate expressa et formali, vel ex qualitate et statu personæ voventis, considerato simul communi usu personarum talis conditionis circa religiosum statum assumendum; nam ex his circumstantiis sufficienter determinatur intentio voventis, et sensus verborum, etiamsi in promissione ipsa non addatur expressa determinatio.

24. *Vovens religionem in gradu laicorum, si non recipiatur, nisi prius addiscat hoc vel illud officium, tenetur addiscere quando alias esset inutilis sine illo, non ita si tale officium non est simpliciter necessarium.* — Ex quibus tandem constat quid dicendum sit de eo qui vovit religionem ingredi in gradu laicorum, et non admittitur, nisi addiscat hoc vel illud officium, in quo possit religioni deservire. Ad quod Soto cum limitatione respondet, si officium sit difficile ad addiscendum, vel laboriosum, non teneri; quod sine dubio verum est, quando vovens de tali medio seu officio non cogitavit, quia nullo modo intendit se ad id obligare. Nam si prius intellexisset ac prævidisset religionem postulaturam ab ipso talem

conditionem, et nihilominus vovisset, obligandus esset, quia saltem virtualiter id vovisset et intendisse videtur. Unde in prædicta limitatione continuat Soto, si officium sit facile, obligari voventem ad eam diligentiam præstandam juxta religionis placitum. Quod ego verum existimarem, quando talis persona, ignorans tale officium, inutilis esset religioni in muneribus laicorum, quia tunc rationabiliter ab eo postulatur illa dispositio, et vovens per se tenetur adhibere media facilia, et moraliter necessaria ad votum suum implendum. At vero si ipse alias absque tali officio est satis idoneus, ut in aliis muneribus laicorum possit sufficienter religioni inservire, et si aliquid ultra necessarium est, facile potest intra religionem addiscere, non potest cogi aut obligari, ut prinsquam in religione recipiatur, vacet tali officio addiscendo, etiamsi id facile præstare possit, quia illa non est dispositio necessaria, nec medium per se ordinatum, nec simpliciter, nec in tali persona, et ideo ex vi voti non obligatur ad illud præstandum.

## CAPUT III.

AN ET QUOMODO RELIGIONIS VOTUM OBLIGET AD PERSEVERANDUM IN RELIGIONE, PROFESSIONEM IN EA EMITTENDO.

1. *Hoc votum potest fieri dupliciter. — Assertio prima.* — Dupliciter fieri potest hoc religionis votum. Primo absolute et simpliciter, per hæc aut similia verba: *Voveo ingredi religionem, vel talem religionem, vel esse religiosus, vel indefinite, ut hic, vel ibi.* Secundo, potest fieri hoc votum cum expressione perseverantiæ, scilicet: *Voveo ingredi et perseverare in religione, vel in tali religione, seu in ea profiteri.* Distinctio est D. Thom. 2. 2. q. 189, art. 4, ubi tertium membrum addit, scilicet, quando quis vovet ingredi religionem, expresse intendens se obligare ad ingrediendum cum libertate perseverandi, vel retrocedendi. Sed, ut constat ex doctrina ejus, eadem est ratio de hoc et de illo priori et absoluto modo vovendi religionem, et ideo illos non distinguimus, quia quod in uno formaliter exprimitur, in alio virtute continetur. Quocirca, quando votum fit priori modo, certum imprimis est post susceptum religionis habitum non teneri quempiam ratione talis voti absolute et simpliciter ad perseverandum vel profitendum; nam si intra probationis annum, rationabiliter et ex sufficienti causa judicet sibi non expedire illum

statum, libere et absque violatione voti potest illum relinquere; ita docent omnes Doctores. Ratio autem est quia jure communi concessus est hic annus probationis in favorem, non solum religionis, sed etiam ingredientis religionem, ut post sufficiens experimentum possit libere eligere, quod sibi magis expedire judicaverit. Per illud autem votum non censetur quis renuntiare huic favori (sive alias possit, sive non, quod infra videbimus), sed potius censetur quis ingredi religionem juxta commune et ordinarium jus, ut docet D. Thomas supra; Dec., in c. *In præsentia*, de Probationibus, num. 53; Henric., in c. *Statuimus*, de Regular., col. 5; Archid., in cap. *Scimus*, 12, quæst. 1; Anton., 3 p., tit. 16, cap. 4, § 4, et alii Doctores infra referendi; ergo per tale votum non se obligat quis simpliciter ad perseverandum, sed ad summum sub ea conditione, nisi post sufficientem experientiam aliud sibi judicaverit expedire; ergo non impleta conditione non tenetur perseverare.

2. *Assertio secunda.* — Atque hinc secundo certum est, si post sufficientem probationem judicet illum statum sibi esse convenientem, teneri ex vi voti ad perseverandum et profitendum, ac proinde si religionem deserat, transgressorem esse voti, et teneri iterum ingredi ac profiteri. Quæ assertio communis etiam est, et probatur primo, quia votum religionis per se non fit propter solum habitum novitiorum suscipiendum, sed primario fit propter ipsum statum religionis; ergo per se obligat ad illum statum profitendum et retinendum; ergo cum non obligat omnino absolute, ut dictum est, obligat saltem sub ea conditione, si post sufficientem probationem talis status conveniens judicetur; ergo, impleta hac conditione, votum violat qui religionem deserit. Secundo, quia alias sufficienter implet votum, qui susciperet religionis habitum animo non profitendi, quidquid in religione experiretur. Consequens est contra omnes, et plane absurdum, quia ille modus ingrediendi religionem imprudentissimus est, et contra finem et institutionem talis ingressus; unde fere inutile esset votum, quod tantum ad illum modum ingrediendi religionem obligaret. Imo Paludanus, 4, d. 38, quæstione quarta, et Sot., lib. 7, quæstione secunda, art. 1, ad 3, tale votum esse vanum, scilicet, ingrediendi religionem animo exeundi. Nihilominus non nego posse excogitari casum, in quo aliquis non habens voluntatem nec propositum profitendi religionem, velit se obli-

gare ad profitendum habitum illius, etiam ex honesto et religioso motivo, videlicet, si forte Deus eo tempore, et aliorum conversatione et exemplis, eum excitet et inducat ad professionem. Quo casu votum sic factura obligaret ad ingressum, et non ad professionem ullo modo. Nisi Deus efficaciter illum moveat, et immutet propositum ejus; et in hoc casu, et non alias, intelligo verum esse, quod Sylv., *Religio*, 2, q. 19, ex Richar. dicit, satisfacere aliquem voto suo, si intret sine proposito permanendi, cum desiderio autem faciendi quod potuerit, ut Deus immutet propositum suum. Hoc enim subit locum quando intentio voti a principio talis fuit.

3. *Votum, animo non profitendi factum, non est proprie religionis.* — *Votum religionis obligat ad professionem, absolute loquendo.* — Dico autem hoc non esse proprie votum religionis, de quo agimus, et quod regulariter ab omnibus fit, neque ita esse interpretandum, nisi de tali intentione votantis expressa ac formali constet; ideoque de voto religionis, absolute loquendo, certum est obligare ad professionem, saltem cum supra dicta conditione. Quod ex Cajetano ita declaratur; nam qui vovet ingredi religionem, per se loquendo, intendit ingredi ut probet an sibi expediat profiteri, necne; ergo intendit obligari ad probationem ut sic; sed de ratione probationis consideratæ secundum rectam rationem est, ut res assumatur si inveniatur expediens, et relinquatur si minus congrua reperitur; ergo qui se obligat ad religionis probationem, plane intendit se obligare ad probandum bona fide, id est, animo perseverandi, si rem gratam invenerit, alioquin non est probatio, sed fictio; ergo qui sic vovet, sine dubio intendit se obligare ad perseverandum, illa conditione impleta; hanc ergo conditionem ad minimum continet religionis votum absolute et simpliciter factum. Atque hæc doctrina sumitur ex D. Thoma, dict. q. 189, art. 4, et in ea conveniunt Cajet. ibi, et Opusc. 17 Responsionum, respons. 7; Sot., 7 de Justit., q. 2, art. 1, ad 3; Sylvest., *Relig.*, 2, quæst. 19, *Votum*, 4, quæstione tertia, punct. 6; Navarr., c. *Docet*, n. 47; Covar., in c. *Quamvis pactum*, 1 p., § 3, num. 12; Tolet., lib. 4 Summ., c. 17, numero duodecimo.

4. *Primum dubium in hac materia.* — Circa hanc vero partem nonnulla supersunt declaranda. Primum est, quale debeat esse iudicium, quod expediat vel non expediat permanere in religione post sufficiens experimentum

ejus, ut, non obstante voto, liceat vel non liceat illam deserere. Et est ratio dubitandi; nam vel illud verbum *capere* significat esse melius vel utilius tali personæ in ordine ad bonum animæ ejus; vel significat non esse nimis onerosum vel difficile pondus talis religionis sustinere. Si primum dicatur, vix poterit deseri unquam religio sine violatione voti, quia raro contingit personam adeo esse ineptam ad religionem, aut religionis mores ita esse improporcionados conditioni personæ, ut prudenter judicetur melius esse tali personæ et utilius ad bonum animæ ejus religionem deserere, quam in ea perseverare. Hic autem agimus de iudicio practice vero et prudentiali; nam si sufficeret quodlibet iudicium temere, et sine sufficienti fundamento formatum, nullius momenti esset obligatio voti. Si autem altera pars eligatur, videtur repugnare intentioni voti, nam finis illius est necessitatem homini imponere, ut in via perfectionis perseveret, vincendo difficultates ejus; ergo non satis est religionem vere judicari onerosam ac difficilem, ut absque voti violatione possit derelinqui. Confirmatur, quia alias æqualiter possent deserere religionis habitum novitius habens votum religionis, ac non habens, quia in utroque requiritur saltem illud iudicium.

5. *Resolutio dubii positi.* Respondeo non esse facile certam aliquam regulam in hoc describere, et ideo fortasse auctores nihil in particulari de hoc dicunt. Verisimilius autem est non esse necessarium definitum iudicium, quod ad bonum animæ expediat, vel melius aut æque bonum sit non perseverare in tali religione, quia nimis rigorosum et scrupulosum est tantam obligationem imponere, maxime cum non possit sufficienti ratione vel auctoritate convinci. Deinde, quia tale votum intelligitur factum integre, retento favore juris circa probationem religionis; juxta commune autem jus potest novitius nolle cum legitima causa profiteri non solum eo casu, sed etiam propter alias causas, ut statim explicabimus; ergo etiamsi votum habeat, non est ad illum casum coaretandus. Satis ergo erit si timeat periculum alicujus gravioris mali, et detrimenti spiritualis, vel de illo probabiliter dubitet, propter graves tentationes quas experitur, vel quia non sperat se posse cum gaudio et tranquillitate animi in eo statu Deo deservire. Imo, licet ad hoc dubium non perveniat, si credat onera religionis ita superare suas vires, ut vel non possit illa sine multis dispensationibus sustinere; vel certe, si omnibus il-

lis se velit exponere, non sine tristitia et perturbatione animi se esse victurum; vel denique si expertus sit labores et difficultates esse longe majores quam cogitavit, sibi que proposuerat. Nam in his casibus, vel similibus (si æquivalentes cogitentur), non credo obligari ex tali voto ad perseverandum. Ratio autem omnium est, tum quia lex ecclesiastica concedens libertatem intra annum probationis omnes hos casus merito comprehendit; tum etiam quia intentio votantis non videtur esse obligare se ad religionem, nisi possit cum alacritate animi, et cum sufficientibus viribus illius pondus integre sustinere, et ideo si probabiliter judicat hanc conditionem non impleri, non obligabitur ex tali voto ad perseverandum; quæ doctrina consentanea est auctoribus supra citatis.

6. *Sat' s'it rationibus in contrarium adductis.* — Nec contra illam urgent rationes dubitandi posteriori loco factæ; nam, licet votum religionis ad hunc finem ordinetur, ut homo in proposito religionis confirmetur, et aliquo modo ad perseverandum cogatur vel obligetur, non tamen absolute, neque sub illa conditione adeo stricta et rigorosa, sed sub alia magis accommodata humanæ fragilitati, qualis a jure intenditur et a nobis explicata est, et illa sufficit ad constituendam aliquam differentiam inter novitium habentem votum, et non habentem. Nam qui votum non habet, neque illam conditionem expectare tenetur, sed pro libertate sua potest intra probationis annum religionem relinquere, etiamsi optimam, sibi que accommodatam et facilem illam invenerit, quia nondum est aliquo vinculo astrictus. Non desunt tamen qui dicant, etiam in eo casu peccare venialiter novitium non habentem votum, si religionem relinquat sine rationabili causa; ita Philarchius, tom. 1, parte secunda, lib. 3, c. 20, ad finem; Angles, diffie. 7, de Voto; Sanchez, l. 4 de Voto, c. 16, n. 92, sequentes in hac parte Cajetanum, ubi supra, qui idem aperte affirmat; addit tamen (et in hoc differentiam constituit) eum, qui non habet votum, si exeat sine rationabili causa, peccare tantum venialiter, alium vero peccare mortaliter. Rationem vero illius peccati in hoc ponit, quia, eo ipso quod quis suscipit habitum religionis, quoddam pactum tacitum inter ipsum et religionem intercedit, ut si aptus inventus fuerit post probationem, ad professionem admittatur, ideoque non posset a religione non admitti aut expelli gratis, et sine rationabili

causa; ergo ut pactum æquale sit ex utraque parte, etiam novitius non potest relinquere habitum religionis sine causa rationabili. Quæ ratio apparens quidem est, tamen si est efficax, non videtur tantum concludere culpam venialem, sed etiam mortalem, quia non erit tantum violatio fidelitatis, sed etiam justitiæ, nam pactum cum mutua obligatione et onere ex justitia obligat. Item, quia ex parte religionis seu religiosorum expellere novitium idoneum sine causa rationabili, et contra voluntatem ejus, videtur esse peccatum mortale; ergo etiam ex parte novitii simile peccatum interveniet, si sine causa religionem deserat. Quod si hoc concedatur, differentia alia constituenda erit, nam tunc novitius, qui habet votum, præter hoc peccatum, committit etiam sacrilegium contra votum.

7. *Novitius, non habens votum religionis, potest illam deserere absque rationabili causa sine ullo peccato.* — *Non ita dicendum de ministris religionis expellentibus.* — Non videtur tamen mihi necessarium hoc pactum admittere, quod neque ex expressa partium voluntate ac conditione satis ostendi potest, neque etiam ex jure habetur. Quapropter, per se loquendo, nullum invenio peccatum in hoc exitu mere voluntario, secinso voto, quia nullam invenio virtutem aut legem, quæ per illum directe ac per se violetur. Nec est simile ex parte religionis; existimo enim ministros ejus graviter peccare expellendo novitium idoneum sine causa rationabili, vel quia abutuntur potestate jurisdictionis sibi concessæ, ratione ejus ex officio tenentur, et bonam religionis procurare, et quasi justum iudicium ferre in ea causa, vel quasi justam dispensationem exercere. Videntur etiam mihi peccare contra charitatem respectu novitii, quia privant illum magno bono, et grandi periculo exponunt. Quæ rationes non habent locum in ipso novitio, quia disponere potest de seipso, non ut minister aut dispensator, sed ut dominus potest cedere juri suo. Respectu vero religionis non peccat contra charitatem, quia inde non resultat noxium alicujus momenti ipsi religioni, nec etiam contra justitiam aut fidelitatem, quia nihil promisit. Neque oportet obligationem esse mutuam, quando solum est ex charitate, vel justitia legali, aut alia simili. Dixi autem per se, quia ex intentione operantis poterit facile voluntas illa deserendi inchoatum statum esse peccaminosa, si fiat propter malum finem, in quo et venialis et mortalis culpa esse potest pro ratione finis, et

forte regulariter non deest aliqua culpa, saltem venialis; quod tamen non sit simpliciter necessaria, patet, quia ille egressus non est ex objecto ita pravus, quin possit fieri cum intentione honeste vivendi, quamvis sine obligatione ad tantam perfectionem.

8. *Limitant aliqui traditam doctrinam.* — Aliqui vero existimant hoc esse limitandum, ut non procedat, quando aliquis ingressus est religionem cum proposito perpetuo perseverandi in illa, quod sentiunt Panorm., in c. *Statuimus*, de Regular., et tunc aiunt, si egrediatur, teneri ad ingrediendum iterum religionem, saltem laxiorem, ut patet ex Panorm., in c. *Consulvisti*, de Reg., n. 3. Et sequitur Palud., d. 38, q. 4, art. 1, et favent leges Hispaniæ, partita 1, tit. 7, l. 7 et 8. Sed hæc sententia, si proprie intelligatur de nudo proposito, falsa est, et destruens generalem doctrinam moralem, quia fere nullus ingreditur religionem, nisi cum illo proposito; unde etiam repugnat prædictis decretis. Videntur autem dicti auctores per propositum intellexisse intentionem faciendi tacitam professionem, ut in 1 disp. de Voto adnotavimus, de qua professione plura in sequentibus.

9. *Instantia solvitur.* — Dices idem fort. dicendum de illo qui habet votum, si consequenter loquamur. Diximus enim favorem a jure concessum circa libertatem professionis infra annum probationis, integrum manere, non obstante dicto voto; ergo si, absque voto, hæc libertas tanta est ut possit quis licite habitum religionis exuere sine rationabili causa, tam ex parte religionis quam ex parte sui, licet non sine honesto fine (hæc enim duo valde diversa sunt), eadem libertas manebit etiam post votum emissum. Respondetur negando consequentiam, quia illa libertas deserendi religionem sine rationabili causa, non pertinet ad favorem juris communis, sed quid consequens, potius permissum quam intentum. Unde tria sunt in hoc jure distinguenda. Primum est id quod immediate statuit ac concedit, et hoc solum est ut professio fieri non possit ante annum probationis expletum. Secundum est finis per se intentus, qui est ut vel professio fiat cum sufficienti cognitione et libertate, vel ut non fiat, si ex causa rationabili ita oportuerit, et hoc per se pertinet ad favorem intentum et concessum per hanc legem. Tertium est (quod inde consequitur), hunc novitium pro sua libertate posse toto illo anno religionem dimittere, sine alia causa rationabili; et hoc non est per se intentum per illam legem, sed per-

missum, quia vitari non potuit supposita suspensione seu prohibitione professionis pro illo anno. Unde quoad hanc partem nihil concedit, sed relinquit hominem in ea dispositione et libertate, in qua ante erat; et ideo si homo aliunde nullam habebat obligationem, liber manet; si autem homo jam voto se obligaverat ad perseverandum in religione, non interveniente causa rationabili ad deserendam illam, lex non abstulit talem obligationem, seu facultatem ita se obligandi, cum per se non intendat concedere aut tueri illam libertatem, quatenus detrimentum potius quam fructum afferre potest, sed permittit illam, quia non potuit ab altera separari.

10. *Difficultas superest, an voto religionis obligatus, qui ex rationabili causa intra annum probationis illam deserit, liber omnino maneat ab obligatione voti.* — Tandem inquiri potest circa hoc punctum, an is, qui ex rationabili causa dimittit religionis habitum intra annum probationis, liber omnino maneat ab obligatione voti. Respondeo, juxta distinctionem datam capite præcedenti, si votum fuit de uno monasterio, seu loco determinato, omnino extinctam manere obligationem voti, quia jam fuit sufficienter impletum, cum pro illo loco sufficiens experimentum factum sit. Idemque in voto de aliqua religione in specie, si causa rationabilis ad non perseverandum oritur ex his conditionibus vel oneribus, quæ toti religioni communia sunt, quia tunc probatio illius loci est virtualis probatio totius religionis. At vero si illa causa solum nascatur ex propriis ac particularibus conditionibus talis loci, ut si respectu talis personæ sit incommodus saluti ejus, vel quid simile, tunc res videtur magis dubia, nam tunc illa non videtur sufficiens probatio pro tota religione, et consequenter nec causa rationabilis ad totam illam deserendam, sed solum in tali loco. Tenebitur ergo, vel procurare prius loci mutationem, quam habitum deserat; vel, si hoc non permittit consuetudo religionis, aut ex rationabili causa non conceditur, tenetur iterum ingredi ad probandum in alio loco ubi cessent illa particularia incommoda. Atque hæc ratio cum proportionem applicari potest ad votum religionis in genere; nam, licet quis habeat justam causam non perseverandi in tali religione propter specialem rigorem, vel modum procedendi ejus, non ideo habet rationabilem causam dimittendi absolute religionem statum, nam in alio fortasse posset facile perseverare; ergo cum se obligaverit ad reli-

gionem in genere, adhuc tenetur amplius probare in alia religione, nisi rationabilis causa oriatur ex generali difficultate status religiosi ut sic.

11. *Resolutio difficultatis.* — Nihilominus non censeo hoc onus esse imponendum votentibus, nisi ubi alias constiterit hanc fuisse satis claram et expressam intentionem votentis; clarum est enim posse illum se obligare, si velit, ad probandum sæpius in pluribus locis vel religionibus. At vero, quoties votum simpliciter et ordinario modo fit, non videtur ita explicanda intentio votentis, quia solum vovet ingredi religionem; ergo tantum vovet ingredi religionem; ergo tantum vovet ingredi; nam qui indefinite promittit aliquid facere, ut jejunare, aut eleemosynam dare, ex vi voti solum obligatur ad id semel faciendum, quia ad veritatem indefinitam sufficit una particularis; ergo qui semel ingressus est religionem, et bona scientia non perseveravit, sufficienter implevit votum illud; ergo extincta manet ejus obligatio. Accedit, quod esset gravissimum onus, iterum ac sæpius loca vel religiones probare, et in eis semper de novo novitiatum inchoare, ac proinde cogi ad probandam religionem plusquam per annum, quæ omnia videntur esse aliena ab intentione votentium. Et hoc idem dicendum est si non ipse voluntarie egrediatur, sed a religione ejiciatur; nam est eadem proportionalis ratio, dummodo bona fide processerit, et directe aut indirecte non procuraverit ejectionem, aliquid in eum finem faciendum ut ejiciatur, nam tunc non tam ejicitur, quam ipse sua voluntate egreditur sine rationabili causa; at vero si, absque tali intentione sua, ex fragilitate aut prava consuetudine ita se gerat ut ejici mereatur, nihilominus voto suo satisfecisse judicandus est, quia jam fecit quod promisit, probando religionem. Et ita facile respondetur ad priores rationes, nam illa probatio est sufficiens, juxta votentis intentionem, et ideo causa rationabilis, quæ ex illa resultat ad non perseverandum in tali loco vel religione, est etiam sufficiens ad extinguendam omnino voti obligationem.

12. *Item dicendum de voto, quo quis promittit esse religiosum.* — Dices: quamvis ratio facta recte procedat in voto ingrediendi religionem, non tamen in voto quo quis promittit esse religiosum, quia religiosus proprie non constituitur per ingressum, sed per professionem: et ideo qui vovet esse religiosus, plus videtur promittere quam ingressum religionis; ergo si per unum ingressum nec po-

tuisset assequi ut esset religiosus, nec satis expertus est illum statum sibi non expedire, tenetur adhuc illum procurare. Unde Cajetanus 2. 2, q. 189, art. 4, dub. 1, differentiam invenit inter illa duo vota, et putat amplius obligare votum essendi religiosum; ille autem fundatur in perpetuitate, de qua statim. In præsentem autem mihi videntur illa vota æquivalentia, quia etiam votum ingrediendi religionem per se tendit ad statum, et aliquo modo ad illum obligat, ut dixi; et e contrario votum essendi, licet magis explicet ipsum statum, tamen etiam intelligitur secundum formam juris communis, ut D. Thomas dixit; et ideo non excludit conditionem dictam, videlicet, si post sufficientem probationem talem statum sibi iudicet convenientem. Quare, licet verba sint diversa, res est eadem, et ideo non magis obligat unum votum quam aliud. Atque hæc videtur etiam esse communis intentio votentium.

## CAPUT IV.

AD QUID OBLIGET VOTUM PROFITENDI, SEU PERVERANDI IN RELIGIONE.

1. *Prima opinio asserit obligare ad perseverantiam.* — Probatur primo. — Secundo. — Tertio. — Quarto. — Superest dicendum de alio vovendi modo, quo quis expresse et directe vovet profiteri in religione, seu perpetuo in ea manere. De quo certum est obligare ad omnia, ad quæ obligat votum simplex religionis. Difficultas vero est an amplius obliget, scilicet, ad perseverandum absolute et sine conditione; hoc enim affirmare videtur D. Thomas, dict. quæst. 189, art. 4, et sequuntur Cajetanus, Cov. et Navar., citati in præcedenti puncto; Abul., numero 30, quæst. 95, ad primum, et q. 93; Anton., 3 part., tit. 16, c. 2; Palac. in 4, dist. 38, disp. 1, post quartam concl.; Philarch., tom. 1, parte secunda, libro tertio, c. 20; et hoc tempore videtur hæc sententia communiter recipi a viris doctis; et probatur, quia votum obligat ad id de quo fit; sed hoc votum non est tantum de ingressu, vel probatione religionis, sed expresse fit de perseverando, ut supponitur; ergo ad hoc obligat. Confirmatur, nam si novitium intra religionem jam existens faciat votum profitendi in illa, ad hoc obligatur, nam illud votum sanctum est et validum; ergo aliquem effectum habet; ergo maxime obligationem ad perseverandum; ergo votum